FRANCISCI MONTMORENCII E SOCIETATE IESV

PIETAS VICTRIX.



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXIX.



PRÆFATIO.

EORSVM *damus ſubſequentes Pſalmos ſeptem, qui mirificè conueniunt celebrandis recentibus* PIETATIS AVSTRIACAE *Victorijs. Seriùs illos Paraphraſi Poëticâ explanauimus, quàm vt vnà cum alijs in vltimâ Poëmatum noſtrorum editione Plantinianâ excudi potuerint: ex occaſione enim nunc primùm natâ, has Dauidis Odas vſurpamus, & in quadrigas ſuſtollimus Pindaricas; vt celebre* POMPARVM AVSRIACARVM *ſtadium decoro reſperſi puluere decurramus: partas his certaminibus Coronas depoſituri ad* PIETATIS *Aram, cui* AVGVSTA DOMVS AVSTRIACA *felicitatem omnem ſuam ſemper feret acceptam.*

PSALMVS LXXXVI.

TITVLVS.

Filijs Core, Psalmus Cantici.

Intellige Sionis. *Amantium est sic ex abrupto loqui, ut obseruant Arnobius & Augustinus.*



VNDAMENTA eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.

Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.

Memor

ARGVMENTVM.

Laus SIONIS: quæ non minùs DOMVI AVSTRIACÆ conuenit.

Strophe ά.



VNDATAM *ſtabili ſuper*
Dicemus Solymam iugo
Moriæ bicornis.
*Alius * Sebaſten,*
Turres hic Ierichuntias,
Laudet ille Bethuliam,
Ratibúſve fidum
Littus Ioppes.

* Sebaſte, eadem quæ Samaria.

Antiſtrophe.

„*Vnam præ reliquis amat*
„*Sionem* DEVS *vrbibus.*
Age, FAMA, *flecte*
Volucrem quadrigam
Ad Mundi latus vltimum:
Dic grandi populis tubâ
Superis ſacratam
Eſſe Sionem.

Epodus.

Aedem dic Salomoniam
Delubris magis omnibus
Hominum ac Deorum
Placuiſſe Regi.

Memor ero Rahab & Babylonis ſcientium me.

Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.

Num-

Huc Gentes properent mone.
„ Hæc Augusta Sionis
„ Arx tuebitur omnes.

Strophe β.

Aegypti memor en DEVS
Huc septemplicis accolas
Iubet ire Nili:
Iubet ire pubem
Quæ Cidnum aut Hipanim bibit;
Nec, cultu priùs horridam
Babylona, Sanctâ
Arcet ab vrbe.

Antistrophe.

Multos mittit Halis; Lycus
Plures: huc volat Aethiops:
Neque Bactriani
Neque Cares absunt:
Huc se tota rapit Tyrus.
Fortunata Sion! tibi
Veniunt cubili
Seres ab Indo.

Epodus.

Extremos hominum doce:
Omnis nam tibi Barbarus
Patulam Magistræ
Reserabit aurem.
Gens superstitiosior
Leges Numinis olim
Discat ritè colendi.

Numquid Sion dicet: Homo, & homo natus eſt in eâ: & ipſe fundauit eam Altiſſimus?

Dominus narrabit in ſcripturis populorum, & principum; horum, qui fuerunt in eâ.

Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.

Strophe γ.

Audiat PVERI-DEI
Ortus: vtque Salutifer
Homini iste Partus
Vetus expiabit
Perduellis Adæ scelus.
Hunc cunis PVERVM *foue,*
Tua cui prior cu-
nabula debes.

Antistrophe.

FATIS *sic melioribus*
Visum: Oracula sic canunt
Manifesta Vatum:
Anus atque charta
Mundo spondet, ab æthere
Venturum Solymis Ducem,
Regat vniuersum
Aequus vt Orbem.

Epodus.

O dilecta nimis DEO
Antiqui Domus Isaci!
Tibi gratulatum
Chorus iste prodit.
Ciuis laudat & aduena
Te, discrimine nullo;
Applauditque Sioni.

PARTA AD LEMGOVIAM VICTORIA

FVSIS, CÆSIS, DELETIS HOSTIBVS

CAPTO PRINCIPE PALATINO ROBERTO

IMMORTALIS DEI BENEFICIO FELICIBVS CÆSARIS AVSPICIIS

EPINICIVM.

PSALMVS XLV.

TITVLVS.

In finem, Filijs Core * pro arcanis, Pſalmus.

* Pro iuuenculis *legit Aquila. Vocabulum enim Hebraum* Galamoth *cùm ſit homonymum, peraquè ſignificat &* Occultas res & Adoleſcentulas domi concluſas, *qua foras in Triumphis prodire ſolebant vt canerent Epinicia.*

Deus noſter refugium, & virtus; adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.

Pro-

ARGVMENTVM.

Rex Dauid pluribus defunctus Bellis, auctus Victorijs; hoc Epinicium DEO VICTORI decantari iubet à Choro Virginum Sionidum.

Strophe α.

AD te, stelliferis sedes
Qui sublimior Orbibus,
Feror explicatis
Per inane pennis:
Qualis emicat igneo
Trans nubes Aquila impetu;
Quoties, procellas
Glomerante Cauro,
Imminet imber.

Antistrophe.

Tale, Rex Superûm, pates
Spei perfugium meæ;
Vbi Sors iniqua
Caput hoc flagellat.
Audis, ô columen meum,
Quo Gentis furor impiæ
Fremitu remugit,
Velut æstuosi
Ira profundi?

Epodus.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra : & transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, & turbatæ ſunt aquæ eorum: conturbati ſunt montes in fortitudine eius.

* Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei : ſanctificauit tabernaculum ſuum Altiſſimus.

* Fluminis diuiſiones *vertit Hieronymus: diuiſa enim flumina leniùs fluunt.*

Deus

Epodus.

Si Carmelus in intimi
Subsidat barathrum maris;
Nihil est quòd illo
Mouear tumultu.
Si dehiscat humus, cauâ
Intercepta voragine;
Nihil est quòd Orbis
Paueam ruinâ.

Strophe β'.

„*Tuo nempe periculum*
„*Arces auxilio meum.*
Sonat ecce tunsum a-
rietante fluctu
Littus; & malè sustinet
Aequor imperiosius,
Tumidaque mersus
Sepelitur vndâ
Portus Asoti.

Antistrophe.

Das siccis tamen vt genus
Has ponti videat minas
Tibi consecrata
Solyme, facisque
Flumen Pacis vt hanc beët:
Leni quod fluit agmine,
Hilaratque pingues
Vbicumque praeter-
labitur agros.

Epodus.

Deus in medio eius, non commouebitur: adiuuabit eam Deus manè diluculo.

Conturbatæ ſunt gentes, & inclinata ſunt regna: dedit vocem ſuam, mota eſt terra.

* Dominus Exercituum *vertit Hieronymus: hoc eſt*, Deus Sabaoth.

* Dominus virtutum nobiſcum: ſuſceptor noſter Deus Iacob.

Venite, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram: auferens bella vſque ad finem terræ.

Arcum

Epodus.

Cur ſancti domus Iſaci
Infeſtas Chananitidos
Metuat phalanges?
Deus hanc tuetur.
Eius excubat ad fores
Ante prima crepuſcula
Roſeæ diei,
Dubiamque lucem.

Strophe γ'.

Nónne buſta tot vrbium,
Regnorumque cadauera
Opulentiorum,
Documenta præbent
Quantus eloquio tonet,
Quantis viribus increpet
Deus arrogantem,
Et abominandi
Auſa Tyranni?

Antiſtrophe.

Felix Iſacidum genus
Cui ſic Bellipotens fauet!
Agedum venite;
Iuuat intueri
Hæc miracula, quæ palàm
Pacis edidit Arbiter,
Mediuſque Belli.
Deus arma toto
Suſtulit Orbe.

Arcum conteret, & confringet arma: & ſcuta comburet igni.

Obſeruare eſt hic mutationem perſonæ: inducitur enim Deus intentans minas impijs.

* Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus: exaltabor in Gentibus, & exaltabor in terrâ.

a Domi-

Epodus.

Hostilis viden' vt Furor
Campis cesserit? vt Metus
Procul, & Dolores
Iërint? reduxque
Nobis Pax Bona lacrymas
Molli terserit osculo,
Placidasque terris
Reuocarit Artes?

Strophe δ'.

Arcum miles inutilem
Nunc suspendat ab ilice,
Pharetramque fractam.
Pueri, quid obstat
Vindex quin rogus expiet
Raptos nuper ab hostibus
Clypeos, & hastas?
Eat hæc supellex
Omnis in ignes.

Antistrophe.

Præsens namque mihi Deus
Hac responsa renuntiem
Iubet Israëli:
Tuas VLTOR *adsum.*
Quas dabit mihi Barbarus
Pœnas? quàm celebres agam
Solymâ receptâ,
Domitoque Pacis
Hoste, Triumphos?

[a] Repetitur hic intercalaris versus.

[a] Dominus virtutum nobiſcum : ſuſceptor noſter Deus Iacob.

[b] Vox hæc adhortatoria apud Hebræos innuit repetendum eſſe, & attentè perpendendum hunc Pſalmum.

[b] Selah.



Epodus.

Felix Isacidum genus
Cui sic Bellipotens fauet.
Agedum puellæ
Meritis ad astra
Illum tollite laudibus:
Et festos, viridi comam
Oleâ reuinctæ,
Geminate plausus.



SOLVTA OBSIDIONE
FONTARABIA
LIBERATO
NAVARRÆ REGNO
MANIFESTA NVMINIS OPE
CATHOLICI REGIS ARMIS
VOTVM.

PSALMVS LXIV.

TITVLVS

In finem, Pſalmus Dauid, Canticum Ieremiæ & Ezechielis populo tranſmigrationis, cùm inciperent exire.

TE decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum * in Ieruſalem.

* *In Hebræo textu deſunt hæc duo verba,* in Ieruſalem.

Exaudi orationem meam: ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum præualuerunt ſuper nos: & impietatibus noſtris tu propitiaberis.

* *Deſiderio reuiſendi Templi, Chorus in hoc Epiphonema prorumpit.*

* Beatus, quem elegiſti, & aſſumpſiſti: inhabitabit in atrijs tuis.

Reple-

ARGVMENTVM.

VOTVM ISRAELIS LIBERATI.

Liber iam puellarum Sionidum Chorus hoc votiuum Epinicium DEO persoluit.

Strophe α.

HYmnus ante Sionios
Te, Rex summe, manet focos,
Rea quando voti
Tibi plebs litabit.
Vultu suscipies bono
Quas omnis manus hostias
Feret, omnis ordo,
Omnis & ætas.

Antistrophe.

Nostris ne, Babylon, malis
Insultes petulantiùs:
Deus ecce Iudam
Miseratus audit;
Dilectumque sibi caput,
Pulsô seruitij iugo,
Vocat ad supinæ
Templa Sionis.

Epodus.

Felices tua quos vocas
Rex in atria, quos opum

Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.

Præparans montes in virtute tuâ, accinctus potentiâ: qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum eius.

Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos à ſignis tuis: exitus matutini & veſpere delectabis.

Viſi-

Cumulas tuarum
Vbere cornu!
O ter-sancta Dei domus!
Lex à te populis venit,
Et Legis soror Aequitas.

Strophe β.

A te nostra venit Salus,
Expectata diu, & graues
Data post labores,
*Quibus iste * lustris*
Bisseptem ingemuit chorus,
Persas exul apud feros,
Arabasque, & vlti-
mos Garamantas:

Antistrophe.

Donec increpitus tuo
Nuper fulmine Caucasus,
Et Imaus, omnes
Solymam remisit
Quos abduxerat exules:
Percußique tibi maris
Fremitu intonata
Barbara Sirtis

Epodus.

Captiuos vomuit suos.
Commorunt tua scilicet,
Deus, obstinatum
Signa Tyrannum.
Medus prodigijs stupet,

* Septuaginta annis tenuit seruitus Babylonica.

Dum

Visitasti terram, & inebriasti eam : multiplicasti locupletare eam.

* Flumen Dei, *est Iordanes: ad cuius incrementum more Nili frugum futuram vbertatem augurantur agricolæ: vt prodiderunt, Aristeas, Iosephus, Strabo.*

* Sulcos, *vertit Hieronymus.*

* Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum : quoniam ita est præparatio eius.

* Riuos eius inebria, multiplica genimina eius : in stillicidijs eius lætabitur germinans.

Bene-

Dum Sol ſanguine decolor
Jlli ſurgit & occidit.

Strophe 7.

Iudæas videt æquior
Orbis hic oculus plagas,
Et amiciore
Locupletat aſtro:
Nam Sionis inebriat
Cæleſti ſola nectare,
Riguoque glebam
Rore maritat.

Antiſtrophe.

Non fecundat olorifer
Jordanes meliùs ferax
Baſani nouale;
Auidoque certam
Spem dat agricolæ, fore
Menſas vt genialibus
Oneret ſecundo
Numine libis.

Epodus.

Sulcos cernis Ephrateos
Tempeſtiuus vt irriget,
Bibuloſque largo
Expleat imbre
Qui curat ſegetes Deus?
His culta officijs ſuo
Tellus reddet Hero vicem.

Stro-

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ: & campi tui replebuntur vbertate.

* *Hieronymus vertit*, pascua deserti.

Pinguescent * speciosa deserti: & exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento: clamabunt, etenim hymnum dicent.

Strophe δ.

Aruis quòd beneficeris
PARENS OPTIME, *circulus*
Memorabit Anni;
Tua nec tacebit
Grato munera carmine:
Et spicis fluitans tuos
Resonare discet
Vallis honores.

Antistrophe.

En ieiuna Saronij
Saltus glarea, iam thymo
Viret atque thymbrâ:
Satureąque ludunt,
Et molles agitant choros
Ad pastoris arundinem
Galadina per du-
meta bidentes.

Epodus.

*Ipse dux * aries gregis*
Aurum cornibus induit,
Similique vestit
Terga metallo.
Omnis silua Deo canet:
Hymnus ante Sionios
Te, Rex summe, manet focos.

* Signatur Aureo Ariete felicitas temporum: quo etiam Arietis Aurei symbolo Hispaniæ Reges vtuntur in torquibus.

AD-

ADHORTATIO AD BATAVOS

VT IN GRATIAM CVM ECCLESIA ET REGE CATHOLICO POSTLIMINIO REDEANT.



LTERVM *à primo, Dauidis hunc Psalmum Pindaricis expressum numeris vsurpamus, dum liberatâ obsidione* GELDRIA, *primario Sicambrorum oppido, versis in fugam Principis Auriaci copijs, direptis vasis & tormentorum apparatu*, SER^MVS HISPANIARVM INFANS FERDINANDVS VICTOR

—triplici inuectus Brabanta Triumpho
Oppida, Cælitibus votum immortale sacrabat.

Adeste huic Triumpho omnes Belgæ; neque vos, Bataui, diutiùs desiderari patiamini.

PSALMVS II.

Sine TITVLO *est hic* PSALMVS, *licet aliqui codices Græci præferant*

Ψαλμὸς τοῦ Δαυίδ.

[a] *Hebraicè* Iehouah. *Tetragrãmaton nomen sæpius attributum Deo Patri.*
[b] *Hoc loco Origenes, Eusebius, Euthymius monent interferendũ* Diapsalma; *cuius in locum nos in hac Paraphrasi Antistrophen substituimus.*

QVare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania?

Astiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus [a] Dominum, & aduersus Christum eius. [b]

Dirum-

ARGVMENTVM.

Apoſtoli ipſi,& poſt Apoſtolos Sancti Patres omnes, Pſalmum hunc ad litteram conuenire volunt ſoli CHRISTO; cuius inſignem de rebellibus Victoriam, animaduerſionem ſeueram in impios Principes, vaticinatur Rex Dauid. Valet ſanè hic Pſalmus ad Optimatum Regumque compeſcendam violentiam.

Strophe ά.

QVid vult hæc ſibi gentium
Coniuratio? quid noui
Hic monſtri dabit inſolens
Meditantis arma
Populi tumultus?
Quis Reges ſtimulat furor?
Vndique, vndique confluunt
Hæc ad claſſica Principes.
Quid vbique belli,
Quid vbique mortis
Feret hæc imago?
Iterúmne cæli
Solio, Gigantum
Imminet ſtolidus labor?
Rebellátne animis ferox
*Iterum Deo * Titania pubes?*

* *Ita in Cant. Iudith*: Nec filij Titan, nec excelſi Gigantes oppoſuerunt ſe illi.

 Anti-

Dirumpamus vincula eorum : & proijciamus à nobis iugum ipſorum.

Qui habitat in cælis irridebit eos : & Dominus ſubſannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in irâ ſuâ , & in furore ſuo conturbabit eos.

Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius , prædicans præceptum eius.

Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Poſtula

Antistrophe.

Deo bella, Deo parat,
Et Nato-vnigenæ Dei
Rursus bellua centiceps
Furiale vulgus.
Quid agis scelesta
Tecum plebs ita mussitans,
Sempérne intolerabile
CHRISTI *seruitium feram?*
Age lora collo,
Pedicæque suris
Semel exuantur.
Id ab arce cæli
Simulatque sensit,
Irrisit Deus, & Dei
Proles sic temerarijs
Subamariori
Voce locuta:

Epodus.

Ne pugnes homo Numini,
Plus satis docuisse te
Auos credideram tuos
Mihi fulminante
Domitos lacerto.
Nam Regem Solymis dedit
Me Parens, vbi Legifer
Iura per populos tuli
Præeunte verba hæc
Patre: Sempiternis

Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virgâ ferreâ, & tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc Reges intelligite : erudimini qui iudicatis terram.

Seruite

Mihi nate ſaclis
Patris alme Sermo;
Dabo quidquid optas.
Gens omnis tibi ſeruiet:
Tuo tota peculio
Tellus cedet & æquor:

Strophe β'.

Regno non erit huic modus.
Qui leges fugiet tuas,
Hunc virgâ preme ferreâ,
Animoſque frange
Tibi contumaces;
Terrens purpureos Duces
Solâ nube ſupercilI,
Infrániſque proteruiam
Pede glorioſo
Subigens Tyranni:
Vt inepta calce
Ferit, obteritque
Sua vaſa fictor.
» Regis in proprios greges,
» In Regem imperium eſt Dei
» Stabili tenore
» Cuncta mouentis.

Antiſtrophe.

Hæc expendite Principes.
Et Tu, qui populis minax
*Regalem * ferulam quatis,*
Trepidis reconde

* Ferula, arbuſcula eſt ſceptris conficiendis apta. Sic Virgil. *Florentes ferulas & grandia lilia quaſſans,*

Seruite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.

a Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de viâ iustâ.

a *Quamuis Hieronymus Hebraum* Nassecku *reddat per verbum* Adorate, *fatetur tamen posse exprimi per Gracum καταφιλήσατε, id est,* deosculamini; *quia qui adorant, solent deosculari manũ, aut summitatem sceptri; vt docet nos sacra Estheris Historia.*

b Cùm exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

b *Nemo ambigit hac intelligenda esse de supremo Christi Iudicio, cùm* Orbem *terrarum iudicaturus est in aquitate; improbis supplicia, iustis pramia aterna redditurus.*

Mea iussa fibris.
Sit labor tuus obuio
Meos excipere osculo
Fasces, & docili iugum
Humero subire:
Aliquando ne me
Alieniorem
Habeas, tuisque
Vitijs iniquum,
Si labaris ab arduo
IVSTI tramite, sospitâ
Ope destitutus
Cælitis alæ.

Epodus.

Adstat præ foribus dies,
Quando fulminis essedo
Vectus, supplicium à reis
Meritum reposcam.
Tremit en profana
Et corde & genibus cohors:
Nec me cernere sustinet
Inferni tenebras specûs
Sibi comminantem
Oculus superbi;
Positaque laruâ
Veterator acre
Pauet hoc tribunal.
» *Felix! qui locat in Deo*
» *Spes suas; erit inscius*
» *Omnis ille timoris.* *

* Similì artificio terminat Horatius duas Odas: in quibus cùm induxisset Deos loquentes, non putauit esse ex decoro, vt rediret ad prius argumentum, sed maluit Odas illas claudere Deorum sermonibus.

VICTRICIBVS ANTVERPIENSIVM ET AVDOMARENSIVM CIVITATIBVS.

DVM *faustißimis Auspicijs, Prouidentiâ, Fortitudine, Celeritate Inuicti Principis* FERDINANDI, *Hispaniarum Infantis, geminâ ad Antuerpiam & Audomarifanum partâ Victoriâ, paßim lætitijs incedunt Belgæ: ne publico solus desim gaudio, quamuis id ætatis & inualetudinis, hæc Epinicia à tribus Dauidis Psalmis mihi mutuanda iudicaui. Dauidicis enim numeris quid inesse Diuini, agnoscunt omnes: neque aliter res ista modum omnem humanum supergressa, à me posteritati commendari potuit aut debuit, quàm sumptâ à Dauide tubâ; quæ sonum & spiritum meum alioquin tenuem, per Prophetici canalis tradu-ctum angustias & flexus, patenti dein ore clariorem quaquauersum effundat.*

Valete duo nobilissima Belgicæ nostræ lumina, & æternùm splendete.

PSAL-

PSALMVS LXXXII.

TITVLVS

Canticum Psalmi Asaph.

*DEus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus:

Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: & qui oderunt te, extulerunt caput.

Super populum tuum malignauerunt consilium: & cogitauerunt aduersus sanctos tuos.

Dixerunt: Venite, & disperdamus eos de gente: & non memoretur nomen Israël vltra.

*His initialibus Psalmi verbis tamquam felicis ominis Epigraphe vtebantur Assamonai Principes in signis & vexillis: à quâ tesserâ, iuxta Hebrai idiomatis rationē, Machabaos dictos volunt Sixt. Senen. lib. 1. Biblioth. Genebrardus lib. 2. Chron.

Quo-

ARGVMENTVM.

Triumphatis Ammonitis & eorum fœderatis, VLTORI DEO Dauid hoc EPINICIVM cecinit.

Strophe ά.

DEus! quis similis tibi?
VLTOR en age fulmine
Grandis eloquij tona;
Totumque exere brachium.
Viden' vt scelesti
Coëant in vnum?
Viden' vt Senatus
Fremat impiorum,
Acuatque cornu?
His sancti sedet Isaci
Fatale Imperijs genus
Abolere stirpe
Prorsus ab imâ.

Antistrophe.

Eia iungite, clamitant,
Arcto iungite fœdere
Nobiscum socij manus
Reges: auxiliaribus
Foueamur armis:
Simul ad Sionis
Properemus arces:
Simul inuidendam

Sobolem

Quoniam cogitauerunt vnanimiter, ſimul aduerſum te teſtamentum diſpoſuerunt, tabernacula Idumæorum & Iſmahelitæ:

Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalech: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.

Etenim Aſſur venit cum illis: facti ſunt in adiutorium filijs Lot.

Fac illis ſicut Madian, & Siſaræ: ſicut Iabin in torrente Ciſſon.

Diſperierunt in Endor: facti ſunt vt ſtercus terræ.

Pone

Sobolem Iacobi
Exſcindamus : vt illius
Nulla per Chananitidem
Supereſſe poſſit
Nominis vmbra.

Epodus.

Quot lecti è populis Duces
Aras in Solymitides
Coniurant? prait omnibus
Idume: ſubit hinc Nomas,
Nabathæus inde, &
Tyrij bilingues
Ratibus timendi,
Meliorque curuo
Amalechus arcu:
Addit ſe comitem ſagax
Ammonem Syrus vt iuuet,
Inceſtamque Lothi domum.

Strophe β'.

» *O curas hominum leues!*
» *Inſanam ô ſapientiam*
» *Contra conſilium Dei!*
Hoſtes en tumidi iacent:
Madian vt olim,
Syrio vt Iabinus
Saturaſſe tabo
Perhibetur vber
Megidonis aruum:
Quando ſanguine decolor

Ciſſon,

Pone Principes eorum ſicut Oreb & Zeb, & Zebee, & Salmana:

Omnes Principes eorum, qui dixerunt: Hereditate poſſideamus Sanctuarium Dei.

Deus meus pone illos vt rotam: & ſicut ſtipulam ante faciem venti.

Sicut ignis qui comburit ſiluam: & ſicut flamma comburens montes:

Ita perſequêris illos in tempeſtate tuâ: & in irâ tuâ turbabis eos.

Imple facies eorum ignominiâ: & quærent nomen tuum, Domine.

Erubeſcant, & conturbentur in ſæculum ſæculi: & confundantur, & pereant.

Et cognoſcant quia nomen tibi Dominus: tu ſolus Altiſſimus in omni terrâ.

PSAL-

Ciſſon, & rapidus Dora
Inimica tot ca-
dauera traxit.

Antiſtrophe.

Si reſurgat aheneâ
Torus Salmana caſſide,
Orebóque tricorpori
Iungatur Zebus in meum
Caput excitati;
Nihil expaueſcam.
Tua nempe ſternet,
Pater, hos Gigantes
Acies tricuſpis:
Teſtas è Samio vt luto
Currens diſſoluit rota;
Vorat ilicetum
Sæuus vt ignis.

Epodus.

En inueſta fugat decem
Hoſtium cuneos puer.
Quò turpes fugitis? teget
Quis ignominiam locus?
Vetus an paterna
Trepidis patebit
Domus? an pudendum
Volet os mariti
Sua noſſe coniux?
Sic ſic docta malo graui
Dicat impia factio:
DEVS! *quis ſimilis tibi?*

PSALMVS CXLVII.

TITVLVS

Alleluia.

LAuda Ierusalem Dominum : lauda Deum tuum Sion.

Quoniam confortauit seras portarum tuarum: benedixit filijs tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem : & adipe frumenti satiat te.

* Qui

ARGVMENTVM.

Inuitantur puellæ Sionides, vt psallant, & Laudes canant

DEO LIBERATORI.

Strophe α.

DEum tollite laudibus
Puellæ Solymitides,
* *Duplici perita*
Psallere palmâ.
Muris quippe Sionijs
Defensor Deus excubat,
Validoque portas
Obice firmat.

Antistrophe.

Non illas Aries queat
Non Balista refringere.
Solyme ô beata
Auspice cælo!
Robur atque animus tuis
Inde ciuibus impluit:
Quid in hos profanus
Audeat hostis?

Epodus.

En pauens sua deserit
Signa, nec dubitat pedem

* Psaltriæ tangebant vtrâque manu nablium. vnde Ouidius: *Disce etiam duplici genialia nablia palmâ Vertere.* * Nablium porrò familiare fuit Hebræis; à quibus dictum est *Nebel*, quod Hieronymus vertit *Psalterium.*

** Citissimæ iussionis Diuinæ vis in quolibet opere his verbis indicatur. Hinc putant Chrysostomus & Basilius persuaderi, quàm facile sit Deo ad Pacem reducere eos qui vexati sint Bellis, quasi tempestate niuis, grandinis, ac glaciei.*

* Qui emittit eloquium ſuum terræ: velociter currit ſermo eius.

Qui dat niuem ſicut lanam: nebulam ſicut cinerem ſpargit.

Mittit cryſtallum ſuam ſicut buccellas: ante

Inimica retrò
Acies referre.
Iö dic, bis Iö Sion!
Cessit hostis; & aurea
Regnis Pax aderit tuis.

Strophe β'.

Iam campos vice vomeris
Scindet lancea; iam grauem
Leuis in ligonem
Ensis abibit.
Rumpet horrea iam seges;
Parcus ruris vt incola
Siliquas opimis
Mutet aristis.

Antistrophe,

Huc, dicto citiùs, vola
Pax ab æthere; gratior
Mihi post labores.
Qualis apricus
Ridet collis amœniùs,
Denso si priùs hunc hiems
Niuis affluentis
Vellere texit.

Epodus,

Qualis à nebulâ solet
Dies ire serenior,
Velut obsoleto
Cinere expeditus:
Aut vt axe sub Arctico

ante faciem frigoris eius quis sustinebit?

Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Iacob: iustitias & iudicia sua Israël.

Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis.

PSAL-

Acri durat aquas gelu
Immitis Boreæ rigor:

Strophe γ'.

Donec aura Fauonij
In cognata resoluerit
Elementa vinctas
Frigore lymphas,
Et crystalla liquauerit:
Tunc liber glacie latex
Virides pererrat
Lætior herbas.

Antistrophe.

Sic iucundius otium
Iam tandem Solymæ redit
Diuturna post fa-
stidia Belli.
Non reor sine Cælitum
Id contingere Numine.
DEVS *hæc Sioni*
Otia fecit.

Epodus.

Quam Leges docuit suas,
Vt Fas atque Pium colat,
Nec ab institutis
Abeat paternis.
„*O rarus Superûm fauor!*
„*Non cuiuis datur assequi*
„*Summi consilium Patris.*

PSALMVS CL.

TITVLVS

Alleluia.

a Hæc intelligenda putant de Cælo, Chrysostomus, Basilius, Euthymius.

b Interpretor hîc cum Iacobo Valentiâ virtutes Angelicas, *quas scimus additas ad commensum illorum corporum quæ in cælesti mole cientur harmoniâ mirabili, & numerosâ dissimilium momentorum atque motuum concordiâ.*

LAudate Dominum in sanctis eius: laudate eum in [a] firmamento virtutis eius.

Laudate eum in [b] virtutibus eius: laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis eius.

Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio, & citharâ.

Laudate

ARGVMENTVM.

Epilogi loco, inducitur in hoc vltimo Dauidis Psalmo Piorum Chorus, ad Musicos modos Aram circumiens, Deumque concelebrans. Primò per Strophen conuertit se, motu Cæli, ab Oriente in Occidentem: deinde contrario Planetarum motu, flectit se per Antistrophen ab Occidente ad Orientem: per Epodon postremò sistit Nicatismum.

Strophe.

* *AGe, ritè sacris*
Operata Pubes
Alternis meritam Deo
Laudem carminibus refer.
Concentu tibi Musico
Aether admodulans præit,
Ludibundaque mollibus
Ciet astra gyris.
Cælestes agedum Choros
Iuuet æmulari:
Iuuet hanc obire
Hilari choreâ
Numinis Aram.

Antistrophe.

Age, festa clangat
Tuba; garrulisque
Iungatur lyra nablijs.

* Sic Apollinarius in suâ Paraphrasi inuitat Chorum Iustorum ad laudandum Deum: Μέλψατέ μοι βασιλῆα χοροὶ δ' ἅμ' ἕποιντο δικαίων.

Laudate eum in tympano, & [a] choro: laudate eum in chordis, & organo.

Laudate eum in [b] cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.

[a] *Si Chorū hic pro saltatione accipi dicam; non equidem extra Chorum (quod aiunt) saltauero. Nomē enim Hebraum* machol, *quod vertit Hieronymus* chorum, *deducitur à radice* chol, *quod* saltare *significat. Vetustissimi nimirum Chori simul cum ipsâ Religione nati sunt; dum populus à victimarum surgens epulis, & mensas linquens, consertis manibus sacros obiret focos, cantu & Musicis incitatus instrumentis. Res nota est ex Scripturâ.*

[b] *Hebraa habent,* cymbalis auditionis, *id est, qua procul audiantur.*

Tempestiuior haud priùs
Vmquam perstrepuit chelys
Nostri conscia gaudij.
Pulsô tibia tympano
Age temperetur:
Et caua sonet organum
Geniale buxi;
Iuuenumque lætos
Coryphæus agmen
Voluat in orbes.

Epodus.

Quid acuta cessant
Crepitare sistra?
Claros en age cymbali
Tinnitus, procul audiat
Frendens inuidiâ Syrus,
Nostro non sine risu.
Rerum quidquid vbique
Spirat, vota Parenti
Immortalia sacret.

APPRO-

APPROBATIO.

REuerendi Patris Francisci Montmorencij è Societate IESV Paraphrases Poëticæ Psalmorum Dauidis, quibus PIETAS VICTRIX describitur, eamdem cum alijs Psalmorum Paraphrasibus, iamantè ab eodem Auctore editis, lucem merentur.

P.Coens S.T.L.Canonicus & Librarum Censor Antuerp.

CVm Priuilegio PHILIPPI IV. Hispaniarum & Indiarum Regis Catholici, ac Potentissimi Belgarum & Burgundionum Principis.

Signat.

Steenhuyse.